DE ANEURYSMATIBUS INTERNIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Saul Formiggini

DE

ANEURYSMATIBUS

INTERNIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM ASSEQUENDAM

IN PERVETUSTO AC CELEBERRIMO

PATAVINO ARCHIGYMNASIO

PUBLICE DEFENDIT

SAUL FORMIGGINI

TERGESTINUS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXXX

« Ove nuovi fatti si scoprano, o le antiche osservazioni
» vengano rettificate, forz'è correggere l'attuale teoria, e
» subordinare la scienza a que' principii che sono conse-
» guenze immediate de' nuovi fatti. »

Scuderi, *Stor. della Med.* Epist. IX.

PATRI AMANTISSIMO

FILIUS OBSERVANTISSIMUS

D. D. D.

Quantam, qualemque esse morborum turbam, quae humanam vitam continuo minitatur et urget, nullum qui Medicinam et primo limine salutarit ignorare arbitror. Nemo etiam inficias ibit illos inter, qui organica alienatione comitantur metuendos magis, et terrificos evadere. Vitia autem organisationis, cum vasorum, praesertim internorum, structuram pervertant, atrociora incedunt, quippe quae in summum vitae articulum aegrum continuo versantur, atque talem vivere cogunt vitam, ut ipsi assiduo ex hac migrare mortem jubere videatur. Haec tam difficilis Medicinae pars attentionem in se totam convertit meam, ut de his aliqua dicere jamdudum in animo fuerit.

Ast quum de *internis aneurysmatibus* agere vellem, quae exagitatum adeo et hisce nostris temporibus a Medicis exhibuerunt argumentum, optimum conduceret, prius, quid aneurysma sit, dicere, varias inde eorum qualitates investigare, modum quo evolvuntur, sequi, variasque quae excogitatae fuerunt opiniones ad trutinam revocare. Haec autem omnia, si cuperem afferre, disceptationis limites transgrederer, dum aliunde tot summorum hominum qui de hoc egerunt argumento, scripta habeantur, ut novas addere notiones, idem esset, ac si Samum vasa, et ad marem aquam inferrem. Externa insuper aneu-

rysmata omnino praetermittam, quum tanta a nostro *Scarpa* lux facta sit. Prius hinc symptomata illa tradam, quibus de interno aneurysmate judicatur; causas, strictis verbis, a quibus producuntur, in medium proferam, et medelam accommodatam magis ut tollantur, aut eorum incommoda imminuantur.

Hujuscemodi morbi symptomata quum recenseam, in *exentialia* et *accessoria,* illa discriminari arridet, quum prima morbi propria pateant, dum secunda ab unius aut alterius organi proximitate dependeant.

Inter phaenomena, quae aneurysmatis evolutionem praecurrunt, « dolores vagantes, totumque corpus dis» currentes, recensentur, rheumaticos fingentes, qui » usitatiorum remediorum usum faciunt inanem, qui» que forsitan a generali perturbatione inducuntur, » qua systema integrum afficitur, priusquam se ad ali» quam partem decidere possit. » Hujusce symptomatis observationes habentur apud *Palletta, Ackermann, Manovry,* et plerumque ab aegrotantibus Medico non incusatur, utpote quia nihil referre cum morbo praesenti sibi credunt.

Quum ad *exentialia* symptomata accedam videbitur et *pathognomonica* adnumerari, quae tamen adhuc desiderantur, quum saepissime in cadaverum sectionibus aneurysmata inveniantur, quae nullum eorum existentiae signum patefecerunt. Quae generatim notantur, tamen enumerabo. Et quidem primo: pulsus irregularis admodum sentitur, praesertim si in brachio sinistro tangatur, parvus exhibetur, intermittens, inaequalis, atque rumorem quemdam aut fremitum secum fert, ut eum Medici *sibilan-*

tem, et *Mouchart crepitantem* compellarent. Varietates quas variis aneurysma in partibus evolutum pulsus tradit, *Cyrillus* in suis observationibus accuratissime tradidit, et nimis longum hic loci esset recordari. Nihilo tamen minus, Medicus in exacta diagnosi non obliviscetur, pulsus ab animi pathematibus maximopere moderari, a conditione viarum digerentium perverti, atque apud nonnullos qualitates enunciatas peculiari corporis constitutioni deberi. Animadvertere insuper conducit, quod si in aortae arcu stet aneurysma, praecipue si tumor magnus adsit, tunc arteriae quae per artus decurrunt, pulsationes exerunt illis cordis non isocronas, quia sanguis, quum per aneurysmatis saccum transeat, ab ipso non impellitur, et subsequentis undae motu procedit, quum tumoris parietes parum omnino se in systolem cohibeant.

Tumoris pulsatio aliquoties in aneurysmatis initio magni momenti signum consideratur; in internis aneurysmatibus, quamvis tactu non percipiatur, ab aure quandoque percipitur. Isthaec pulsationes cum illis una cordis, et arteriarum conveniunt; atque tantum vi variant et frequentia, juxta vasa affecta, ipsorum irritabilitatem, atque locum ubi extant. Notati etiam fuerunt tumores, in quibus symptoma hoc desiderabatur, praesertim si de chronico morbo peragatur: observatione dignum censeo, pulsationes admodum deficere, quum ultimum aegrotans vitae stadium percurrat. Neque pulsationes pathognomonicum signum habendae, quum exempla apud auctores legantur, obstructionum viscerum quae arteriam subleva-

runt, irritarunt, atque ejus pulsationes patentiores et suspectae evaserunt. Confundi potest hoc symptoma, quum lymphaticus textus arteriae superimpositus turgeat et subsiliat; hic tamen locomotionis sensum perhibet, dum dilatatio et vicissim constrictio in priori, tactui veniant. Vermes in puerulis magis hanc fingere possunt affectionem, ob nimiam irritationem, quam eorum praesentia movent, inducunt. Hypocondria etiam, cordis palpitationes et arteriarum vibrationes erigere valet. Chlorosis quoque in iis quae menstruorum defectu laborant ob circuli novitatem, quum adpareant, hoc in scenam phaenomenon prodit. Ast aetas, sexus, temperamentum, corporis habitus, morbi praegressi etc. tot momenta attento Medico exhibebunt, ut et e fallaci hoc symptomate utilitatem aliquam possit eruere. Negligendae minime reor respirationis quaedam molestiae, quibus hujuscemodi aegrotantes torquentur, ita ut et de repente anhelitubus adhoriantur, premantur, quasi difficillimum per iter irruissent. Quum huic morbo vasorum lithiases consocientur, et acutissimi doloris sensus insurgit punctorius, sub quo aegrotans pallescit, clamat, cordi manum infert, et aere in pulmonibus vi retento, haec omnia phaenomena componuntur, inque pristinum aeger statum vindicatur.

Inter *accessoria* signa, quae ab aegrotantibus offeruntur, primitus animum subeunt ea, quae a pervertita organi proximi functione dependent, ita ut vel impediatur, vel incitetur, atque etiam destruatur.

Haec valdopere inter se discriminantur, varia prout organa affecta, variasque quae auferunt, aut alie-

nantur functiones. Generatim loquendo, partes compressae torpore invaduntur, atque oedemate tumescunt, deinc inflammatio incenditur, et ad gangrenae exitum tendunt.

Sin arteria *thoracica* sit affecta, nulla aegrotanti quies conceditur, quovis in latere decubitus ejus impeditur; et si in dorso jaceat, suffocationis periculum ingruit, atque erecto trunco stare cogitur.

Sin *aorta* laboret, ita ut trachea comprimatur, laquei sensum stricti incusat, et neque stanti molestia excedit, et solum antrorsum, trunco inclinato, aerem illi ducere licet. Et esophagus in disphagiam potest induci, si in sinistro arteriae latere aneurysma promineat.

Celiaca arteria in aneurysma distracta viarum digerentium turbas omnimodas movet, puta, flatus, vomitus, ructus, anorexiam, alvi excretiones anomalas, emaciationem, et mortem potis est producere. Dolores vagi intestinales suscitantur, alvi dejectiones sanguineae fiunt, urinae crassae, abnormes minguntur.

Ubi *aorta* vix e corde egressa talem morbum patiatur, dolorem et torporem in respondenti brachio parit, qui putantur expergisci a phlogosi et carie ossium a morbo inita. Cor aliud profert indicium, quum in violentas ruat palpitationes; costarum defectus videntur sensatione contristari; sternum os corrodere, atque externe patere, aortae aneurysma visum fuit. Ex hac quam in ossibus et vicinioribus partibus vastatione aneurysmata gignunt, dolores fixi, pungentes, gravativi exordiuntur. Si aneurysmata illum gradum distensionis tetigerint, ut amplius fibrae

distrahi nequeant quin frangantur, aut tali impetu aneurysma efformetur, erumpat, ut mechanicae impulsioni parietes resistere non valeant, in cavitatibus, per quas vasa haec decurrunt, sanguis effluit, atque phaenomenorum syndromes tunc temporis ostenditur, incitatur, quae tristissimum hunc adfectionis exitum monent, praedicant; variaeque mortis causae proximae noscuntur, variam juxta regionem, in qua effusus, colligitur sanguis aut evacuatur.

Aneurysmatum causae distinguendae sunt in *remotas externas, internas;* internae autem dividuntur in *generales* et *locales*. Inter *remotas externas* causas, abusus sex rerum non naturalium primum tenet locum, tum si recte iis utatur, nec ne. Et quidem cibi et potus, moderatione et frugalitate ducibus, organismum alunt, corpus crescunt, vires fulciuntur, gustum delectant, functiones non impediunt, temperamentum regunt; dum e contra, si quantitate aut qualitate peccent, maxima in struendis morbis pollent activitate. Quamquam enim opipatores bonam haudquaquam chilificationem perficiant, tamen hujusce fluidi copiam adaugent, atque in humoralem, sic dictam, cacochimiam incidunt. Pondus solum ventriculo illatum sufficit ut circulatio pervertatur, quippe quia si vasi alicui incumbat, compressio sat evadit, ut in parte superiori aneurysmatis principium statuatur a mora cui sanguis in cursu suo subjicitur. *Matani* opinatur, voracitatem ab infantia ad aneurysmata disponere, utpote quae sanguinis aut florentis aut cacochimici quantitatem excedentem generat, quae vasorum distrahit parietes, et demum

aneurysmatica efficit. Qualitates ciborum autem, quae aromatibus onerantur et olent, magis ad hunc morbum pronos homines reddunt. Incitantes hi cibi, dum ventriculum ad validiorem ciere valent actionem, ut illos digerat, vasis sanguiferis vim addunt, quae majori vi circulationem faciunt praecipitem. Potus autem nomine, hocce in casu, aquas non colligam, haud dubio innocuas, verum vinum, et spirituosos liquores cunctos comprehendo, quibus caloricus adaugetur, sanguinis velocitas concitatur, adeo ut saepenumero visum fuerit hac de causa vasa disrumpi, et mortem adduci. Sanguinis impetus, cum vasorum parietes magis conterat maxima facilitate, desquamationis, ut ita dicam, processum potest inducere; atque caloricus ipse quum omnium corporum molem extendat, sic et ipse sanguis adaucta mole, vasa dilatabit cum amplius in ipsis capi non possit. Motus et quies opposito modo in aneurysmatum productionem conveniunt. Primus enim citatiorem et vividiorem sanguinis decursum movet, dum secunda stagnationi favetur, qua congestio paritur, quae mechanice in vasorum parietes urget. Vigilia et somnus prout vegetationi praesunt ad hanc praedispositionem symbolam conferunt suam. Quum et paullulum considerentur retentiones et excretiones, statim visum erit maximum exerere influxum in aneurysmatum formatione.

Sanguis ipse hic loci est considerandus, qui et *quantitate* et *qualitate* peccare scimus. Atque hoc respectu, non solum per se considerandus est, verum etiam in mentem revocare conducit, quomodo a suspensis fluxubus augeatur, quomodo a profusis immi-

nuatur, quomodo si in aere puro, elastico sanguificatio perficiatur, ipse vividioris stimuli sit, dum e contra lente moveatur, et densior componatur. Quibus positis, nemini dubium esse debet, circumstantias hasce maximos ad hoc effectus prodire.

Sex inter non naturalia, animi pathemata postremo recensentur. Cujuslibet generis sint, vasorum vim vitalem incitant, atque hinc sanguinis circulatio adaugetur. Relate autem ad individui constitutionem sunt consideranda; si enim agatur de temperamento phlegmatico et parum incitabili, vividus magis ab exhilaranti pathemate individuus exoritur; dum si haec circumstantiae per se a temperamento tribuantur, incitamentum fit majus, et sequelae hujusce status propriae exsurgunt. Omnibus vero excellunt *hypocondriasis* et *hysteria*. Hypocondriacus homo et hysterica mulier saepissime Medico irregularem pulsum, tumultuosum, praecordiorum palpitationes, respirationis oppressionem offerunt, quae omnia primitus, nihil aliud sistunt, quam effectus nervosi systematis perturbationis; quum vero in diuturnum producantur, sanguinei systematis textura et organisatio ab ipsis conteritur, alienatur, pervertitur.

Insuper hisce pathematibus laborantes, in viarum digerentium abnormitates facile impelluntur, quae omnia in vegetanti systemate maximum exerunt influxum. Plurima hujuscemodi exempla multos apud auctores legenda sunt.

Corporis mala constructio uti aneurysmatum produtrix omni jure praedicatur: rachitis praecipuo modo consideratur. Si enim juxta *Borelli* observa-

tiones in musculorum motubus perspiciendae sunt cunctae mechanicae leges, et *Arveum* juxta, qui sublimiores hydraulicas leges detexit, quid mirum, causam mechanicam omnino horum morborum evolutionem parere posse?

Quum coitus sensus omnes compescat, et vivax actio per se sit, quisque videt quomodo inter causas sit enumerandus.

Cutis tum si respectus habeatur physiologicae suae functioni, cum si pus, icor ab ipsa secernantur, maximam Medici meretur attentionem. Functiones haecce impeditae sanguinis copiam augent, et principia irritantia non educta, secundum *Testa* opinionem et observationes, vasorum textus irritant, atque in aorta inflammationem incendere valent. Neque chronicae solummodo cutis affectiones, verum etiam acutae, dummodo proprium non absolvant decursum atque intus pellantur, sicuti abnormitates et alienationes movere valent in textubus in quibus irruunt, ita et vasorum texturam possunt corripere, atque mortem individuo adducunt, aut lenta phlogosi membranas emolliunt, osseas reddunt, atque tandem aneurysma generatur.

Quantum in morbis producendis influxum exerant occupationes variae, quibus quisque datur individuus, et quomodo hinc et huic pronos morbo homines faciant, non dicam, cum notum cuique sit perillustris *Ramazzini* opus *De morbis artificum.*

Emeticorum abusus, cum sub conatu vomitus et ventriculi, thoracis vasa comprimantur, et sanguis peraeque diffundi non possit, in vasorum parietes reagit, atque etiam si expellatur, partialem aliis in par-

tibus promovet congestionem. Tali sub administratione et diaphragma contrahitur, atque suas inter appendices aortam stringit, et quasi cursum sanguinis impedit.

Postremo causis *remotis externis* conatus, violenti motus, percussiones, compressiones, lapsus etc. referuntur.

De *remotis internis* causis *universalibus* quum sermo sit, diathesis aneurysmatica prius animadvertitur. Nihil dicam de quaestione diuturna, qua practicorum mens occupabatur, utrum intelligi debeat hac denominatione, morbus ipse decurrens, aut ad ipsum proclivitas; sed hoc nomine comprehendi melius censeo statum illum systematis sanguiferi vasorum, quo integrum ad hunc morbum pronum evadit. Mala haec systematis arteriosi constructio variis a causis dependet: sive enim ab innata debilitate, quae aut vasis inest, aut relate, a sanguinis copia et qualitate inducitur, aut reapse absolute pateat a discrasia aliqua humorali, identica sibi massa sanguinea remanenti, aut a causa vehementi quadam in centro maximo circulationis agenti, a qua effectus radientur parti cuivis systematis.

Innata vasorum debilitas in praxi occurrit observanda quorumdam, in quibus et levissima contusione, tractione etc. echymosi signantur, atque hoc in casu roborantia, adstringentia optime conducunt.

Phlogosis quum in aucta vi et systematis vascularis celeritate tantum consistat, atque *Reil vasorum febrim* gignat, saepenumero uti conatuum producta in sanguineo systemate inductorum, aneurysmata

panduntur. *Hunteri* accuratissimae observationes jamdudum demonstrarunt, sub phlogosis processu vasa minima dilatari, atque rubras moleculas admittere, atque pulsantia fieri et diametri majoris. Nihil est cur non credatur impetum illum, a quo vasorum extremitates possunt extendi, et majorum vasorum parietes dilatare posse et frangere; id eo magis conceptu facile erit, quum recordabitur, sub phlogistico processu caloris evolutionem fieri, qua sanguis rarior redditur, et volumine adaugetur; et quamvis et parietes crassiores fiant, tamen canalis lumen non ampliatur proportione relativa sanguini per ipsum discurrenti. Et si hac sub conditione ab aliquibus ulcera in cadaverum sectionibus inventa sunt, cur non admittatur, debilitatem in vasorum parietibus prius induci debere?

Quum discrasias inter causas enumerarem, procul animo fuit excogitatas varias Humoristarum acrimonias intelligere. Verum pro me faciunt nunc tantum *scrophulae*, *syphilis* et *scorbutus*. Humorum isthaec species novum in intimos vasorum parietes stimulum exerunt, qui chemico modo, a vi vitali moderato, agit; quapropter solutiones continuitatis, ulcera, et hoc genus alias eduntur. *Lancisi* jam hujuscemodi aneurysma observavit in matrona, quae prius herpete laboraverat, cujusque gingivae = *erodentes ichores, qui ad gingivas, ad capitis cutem, et pone aures deponebantur, sensim supra arteriam carotidem decubuisse, et quemadmodum aliis in locis erosiones tentaverant, ita easdem moliri coepisse.* = Eodem ferme pacto *Corvisart* opinatur. Proprium, virus hi agendi modum exercent. Scrophu-

lae, ex. gr., liquida glandularum densiora faciunt, nullusque per illas sanguinis cursus perficitur; quapropter arteria quae in ipsas dissolvitur, integrum impetus et celeritatis conatum, quo totam per glandulam irruebat, debet sustinere. Obstructiones viscerum omnes, penes causam hanc sunt adnumerandae. *Syphilis* parietes vasorum relaxat, debilitat, diametra eorum distendit, et concretiones variae indolis producit. *Palletta* non dubitat asserere, syphilidem causam sistere maximam in textu arteriarum enervando. Insuper quum praeclarissimi *Tompson* observationibus et ratiocinatione compertum habeatur, syphilidem phlogosim veram lymphaticorum vasorum constituere, pro me tunc certat *Hunteri* legem statutam, antagonismi inter systema sanguineum et lymphaticum, qua hoc incitatum, depressum alterum tenet. Quod si auctoritate fulciri haec adsertio deberet, verendissimorum *Morgagni, Matani* et *Lancisi* nomina ad hoc in medium ferre possumus.

Mercurii abusus, lithiaca dispositio, obesitas omenti, abscessus, luxationes, fracturae, arteriarum digressiones, compressiones, cordis prolapsus, cardiogma, aortae lumen imminutum, ferina tussis, et alia permulta aneurysmata inducere potis erunt, et multimodae observationes testantur et confirmant.

Animadvertendum tamen est, causas hasce omnes per se non valere aliquando, ut causam proximam producant, quae in aequilibrio sublato actionem inter sanguinis impellentis et oppositam a parietibus reactionem consistit. Quum et semel hoc tollatur, aneurysma insurgere est necesse; hoc tamen pro tem-

pore vigere potest. Observatione enim habetur, et experientia confirmatum apud nonnullos qui symptomatibus hujusce morbi propriis distorquebantur, regimine aliquo instituto, cuncta phaenomena silere. Et quidem secundum naturae leges hoc fieri cognoscitur. Si enim tumores, exanthemata, ipsae systematis sanguiferi affectiones periodos quasdam decurrunt initii, incrementi, acminis, decrementi et finis, cur hoc istiusmodi in morbo non credetur evenire? Si tantam in gestatione uterus molem aquirit, ut in se foetum admittat, et postea adeo contrahitur, ut contentum extrudatur, cur et haec contractio in vasorum textura possibilis non retinebitur?

Non semper ergo irrita Medicorum erunt vota, et forsan non fuissent, si melius causis morborum proximis respicerentur, neque negligenter et audacter insanabilem morbum praedicarent. Quum causa morbosa tantam vim exererit, ut partes in textura alienarentur, tunc cura palliativa erit utendum. E contra in aneurysmatibus ab innata parietum debilitate productis, roborantia, aromatica, tonica conducent. *Monteggia* exempla refert talis medicinae, votis expletis, adhibitae. *Guatani, Ford* historias et observationes ad hoc scripserunt.

In cura illorum quae a causa mechanica pendent, hac causa ablata, et conveniens cura aneurysmatis facile habebitur. Omnibus in casibus autem, temperamenti, constitutionis, complicationum, causarum respicere cauto et sagaci Medico erit. Sin vero aneurysma, *activum* sic dictum, sit evolutum, in plethorico individuo, firmae constitutionis etc., venae sectio-

nes, diaeta austera, methodus deprimens lata manu adhibita, textus relaxationem inducere valent; et quidem poterit evenire, quod disruptae internae tunicae collapsae, sibi invicem labia vulneris aptentur, et lymphae plasticae exsudationis ope, ad cicatricem perveniant. *Valsalva* methodus a multis, optimi exitus fuit comprobata.

Ubi aneurysmatum internorum medicina sit facienda, quae pendeant et serbentur, ab aliqua ex recensitis discrasiis, ibi Medici solertia melius elucebit. Isthaec affectiones, nimium numquam pertimescendae, a multis denegatae fuerunt, et nullius momenti retentae: alii, contrario, majorem morborum partem ipsis adscribendam dijudicant. Mihi videtur semper iis esse respiciendum, tum praecipue, si universi organismi labem moliantur et perficiant. Congrua remedia tunc erunt suppeditanda, hisce et affectionibus accomodata. Nonnulla in auctorum scriptis leguntur exempla felicis curationis obtentae. Melius mihi arridet casum hic loci enarrare, qui meis sub oculis anno 1822 hac in civitate evenit in praxi distincti et clarissimi amici Doct. *Samuelis Medoro.*

Jacobus Staurengo, acuens ejus opinionem rogavit de oedemate quodam, quo, aliquo tempore, ejus crus et pes dexteri lateris laborabant. Quartum supra trigesimum annum vitae suae agebat, inter bibacissimos bibax, et Veneris amicissimus. Varices insuper ad crura patebant; parum nihilominus ejus constitutio ex hoc passa erat. Distinctissimam respondenti popliti pulsationem persentiebat; et, exploratione instituta, repertus est tumorem pulsantem, nucis

juglantis magnitudinem adaequantem; et *Medoro* aneurysmatis existentiam constituit. Curationem palliativam tentare statuit, sed tandem ad operationem devenire necessarium declaravit. Venae sectio ampla fuit celebrata, et infusioni digitalis subjectus fuit. Vini usus et spirituosa proscripta, verbis fuerunt, reapse, nusquam. Hebdomada elapsa, dolorem cursum juxta nervi ischiatici ad genu usque accusavit; et tumore explorato, tertiae partis adauctum detexit. Iterum phlebotomia perficiebatur; et rogatus, vicies amplius, ulceribus syphiliticis, blenorrhaeis, bubonibus etc. infestatum se fuisse testatum est, et topica tantum medela adhibita, cuncta phaenomena profligasse. *Medoro*, illa qua excellitur animi ingenuitate, fatetur se non suspicasse hac de causa exoriri potuisse; et digitali suspensa, scrupulos duos Oxydi Moscati praescripsit, una et superbibere jussit unam ex suetis antivenereis decoctionibus. Duabus hebdomadis trajectis, iterum ut vena secaretur comparuit, nullaque modificatio tum voluminis cum pulsationis inventa fuit. Aliquibus de mense diebus elapsis, die Maij nona ad ebrietatem vinum ingurgitavit, et rheumate laboravit. Venienti die venae sectionem instituere statuit; quo facto et parte affecta explorata, ad quartam tumorem partem se cohibuisse conspexit, maximam duritiem exhibebat, neque pulsatio ulla percipiebatur. Admirans Medicus amicis hoc phaenomenon visum exhibuit. Gradatim imminutum in posterum est, quaevis pulsatio desiderabatur. Femoralis tamen arteriae profundae externum femoris condilum prosequens ramus, diametro increvit quae probabiliter occlusae suc-

currere debebat. Numquam Medici curantis visum aegrotans refugit, neque umquam molestiam ullam incusavit, usque dum omnino sensubus evanuit. Idibus Octobris iterum ad Medicum confugit, desperans fere, quum eumdem se morbum alio in poplite pati cognosceret. Examine instituto, tumor repertus fuit columbae ovum mole sua aequans, inferius aliquantulum altero situs, pulsans. Generosa sanguinis missio fuit celebrata, et mercurialis cura suscepta. Nulla ferme utilitas a praescriptis remediis effluebat, quamvis bis de mense vena secaretur, et tantum stationarius tumor videbatur usque ad vigesimam quartam Aprilis diem, qua de repente ad gallinae ovum adauctus surrexit, et tunc quies absoluta corporis, balnea topica, frigida, venae sectio commendabantur. Horum omnium injuria, ad tertiam post quatuor dies partem novi auxit. Tunc diathesis aneurysmatica suspecta fuit, praesertim ex eo, quia cordis palpitationes, iliacae et carotidum pulsationes insurrexerant, atque sententiam *Brera, Federigo, Dalle-Ore, Zecchinelli, Montesanto* rogatus *Medoro* est, qui una asseruerunt vasculare vitium extare, et nullum, nisi in diaeta *Valsalviana* refugium. Nullum tamen levamen habebatur, tumor increscebat; aegrotans operationem efflagitabat, exposcebat, quae die vigesima absolvebatur. Hic loci nihil decursum refert enarrare; dicam tantum, novi necessario ligaturam instituisse, haemorragiae secundariae causa, et lethalem exitum sub gangrenae processu, varios post dies aegrotantem explevisse.

Phaenomenon mirabile non praetermittam, quod tertia post operationem die, quum laudabili statu

salutis aegrotans frueretur, vehementem pulsationem sub musculo recto abdominali tres transversi digiti umbilico inferius incusavit. Exploratione peracta, rotundum corpus, gallinae ovum aequans, tactui sentitum venit, qui aneurysma extare fidem praebebat. Loquelae sub usu, omnino evanescebat.

Cadaveris sectio instituta, nullam sensibilem alienationem in pectore detexit, neque dilatationes, neque lithiases, neque maculas lithiaci processus initium ostendentes. Nihil in abdomine abnormitatis, quamquam accuratissime et ad scrupulum inquireretur causa pulsationis, et tumoris hac in regione detecti.

Quum de modo, quo medela aneurysmatis prioris facta fuisset, viros inter spectabiles consultum avocatos, discrimen haberetur, magni momenti arteriae illius examen evadebat. Hinc iliacae externae dexterae injectione instituta, omnino occlusa detecta fuit, aliquam etiam per lineam supra saccum, qua de re injectio minime trajecit. Sacco adaperto, nucleus in ipso contentus aspiciebatur, duritiei lapideae, mediocris faseoli magnitudinem adaequans. Hic arteriae tractus religiose a *Medoro* serbatur, et apud ipsum, cui placeat, videre est.

Si ratiocinationes cunctae et pathologicae quaestiones, quibus in contraria summi homines continuo versantur, jactantur, factorum talium fulcimento initerentur, absque dubio, certa scientia Medicina haberetur. Verum est, quod theoria praedilecta multi ita alliciuntur, ut fidem factis etiam negare queant: quod tamen non sani Medici, sed phanatici tantum

est. Factum hoc clare demonstrat, obliterari posse vasorum lumen, cura tantum interna instituta, et aneurysmatum exitubus funestissimis occurrere. Chirurgicum opus tentare, ancipiti in casu, laudandum est; sed istiusmodi dummodo extent exempla curationis, quisque Medicus internam suscipere curam cum neget, nisi urgeat symptomatum gravitas, et vitae discrimen, empyricus erit retinendus, et non rationalis. Et si coerceri possunt adeo vasorum parietes, ut in se, se contrahant, et mutuam adhaesionem perficiant, nonne minoris operae effectus est, internae rupturae labia admovere, et adhaerere? Congruum regimen praescribere attenti Medici cura erit, temperamento, aetati, constitutioni, causis, complicationibus aptius; labes si aliqua existat, ei occurrendum; atque si exposito in exemplo, syphilis aneurysma producere valuit, et si mercurialis medela, cum causa mederetur, et effectus auferre potis fuit, cur idem evenire adversabitur, in scrophulosa discrasia et scorbutica? Quin immo mihi certum puto, quod si vidimus in longinquioribus a circulationis centro partibus remedia proprium exerere effectum, eo facilius hoc consequi debere, quum praecordia afficiantur?

Atque fidem huic inductioni addet consideratio, quod si levamen non solum mali hauritur in musculis, in cute etc. ab internis remediis in usum tractis, quibus partibus remedia ut deferantur, minimorum vasorum ope, tantum obtinetur; cur non vasorum structura a pharmacorum vi non subjicetur, quum per ipsa prius, pharmaca ad partes illas solummodo possint pervenire?

Utinam usque adhuc vigens lamentum in Medicina compesceretur, pathologiae defectus in Chirurgia, quod tunc certe non morbi effectus sustulerentur, verum morbi causae componerentur, pathologicus processus infraeneretur, obtruncaretur.

2b

THESES

I.

Proximae morborum causae in curatione eorum summopere perspiciendum.

II.

Localis affectio syphilitica, circumscripta nempe in systemate lymphatico-glandulari, Tompsonianae methodo prospere cedit; constitutionalis vero nonnisi mercurialibus curatur praeparationibus.

III.

Depletiones sanguineae effectum diversum producunt, pro varia ubi fiunt, systematis sanguiferi parte.

IV.

Formulae nimis compositae, Medicum de indicatione dubium produnt.

V.

Virginibus lac secerni potest.

VI.

Primum lienis officium est hepatis functioni succurrere.